



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

Qvartvm Argvmentvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

Itoriâ texuitle Seuerus ipse indicat, vt Giselinus in Vita Seueri acutè obseruauit. Nam in præfatione ad Desiderium vbi neglectum orationis cultû excusat, totum id quod ex politioribus studijs olim libauerat, id se tanti tēporis desitudine fatetur perdidisse: innuit ergo his verbis se Martini vitâ composuisse post multorum annorum cum ipso Martino contuberniū, hoc est, paulò ante obitum Martini. Atqui editio, & euulgatio iam dictæ Vitæ signatur à Baronio Anno Christi 397. Igitur Martinus iam ante hunc annum 397. è viuus excesserat: ac proinde ex ipsomet Baronio colligimus non peruenisse ad annum 402.

QVARTVM ARGVMENTVM.

105 **C**ONSISTAT ex testimonio Scriptorum veterum, & ex Romani Breuiarij nuperrimè recogniti auctoritate, Beatum Martinum non vixisse vltra octogesium primum Annum: Atqui si obiit, vt Baronius opinatur, anno sal. 402. profectò vsque ad octogesium sextum ætatis annum peruenit. Probo sequelam: si enim Euodio Consule, hoc est anno 386. iam erat septuagenarius, ergo anno 402. fuisset ætatis plusquam octoginta sex annorum. Hoc argumentum supra etiam attigimus, sed his est locus eius proprius. Baronius id non solum concedit, sed fidenter asserit peruenisse Martinum ad octuagesimum sextum ætatis annum. At quomodo tot vetustis Scriptoribus Gregorio videlicet Turonensi, Venantio, Fortunato, Adoni Viennensi, Sigeberto Gemblacensi, & (quod caput est) Breuiario Romano nouissimè recognito satisfacere possit, equidem haud video.

QVINTVM ARGVMENTVM.

106 **S**ANCTVS PERPETVVS factus est Episcopus Turonēsis anno 64. ab obitu Martini (tanti fecere veteres Galli Beatissimum Martinum, vt ab eius obitu veluti à memorabili temporū Epochâ annos numerare consueuerint.) Id constanter tradunt Gregorius Turonensis lib. 1. de mirac. Sancti Martini cap. 6. & lib. 2. Hist. Franc. cap. 10. & 14. & lib. vltimo cap. 31. Aymoinus lib. 1. de gest. Franc. Ado Viennēsis in Chronico ætate 6. & Baronius ipse tom. 5. Annal. ad ann. 402. Atqui idem Sanctus Perpetuus interfuit, imò præfuit Concilio Venetico, quod supputate Baronio in Annalibus, celebratum est Anno sal. 454. ergo iuxta hanc Baronij Chronologiam (falsam vtique, sed auctori suo verè, & validè aduersam) Martinus decessisse dicendus esset anno 390 vt patebit è 454. detrahenti 64. Quomodo igitur alibi idem Baronius asserit decessisse 402. ? Diaphoniam istam nemo arbitror conciliabit.

Altera nunc nostræ sententiæ pars demonstranda est, videlicet Beatū Martinum obiisse Anno Christi vulg. 395.